

## Flugpioniere

- 1 Prima luce Daedalus Icarum e somno excitavit et filio amato dixit:  
2 „Surge statim, Icare!  
3 Alae<sup>1</sup> ad fugam paratae sunt,  
4 quae diu in tecto conditae erant.“  
5 Sine mora pater filio alas ad fugam paratas praebuit;  
6 tum eum instituit:  
7 „Cape alas,  
8 quas e pennis<sup>2</sup> et cera<sup>3</sup> feci.“  
9 Statim Icarus alas e pennis et cera factas cepit.  
10 Tum filius laetitia completus respondit:  
11 „Pater, nemo nos a fuga prohibebit.  
12 Nemo nos retinebit ut captivos.  
13 Nunc per caelum latum in patriam desideratam volare possumus.“  
14 Daedalus autem timore et curis sollicitatus filium monuit,  
15 Priusquam alas movere et volare coeperunt:  
16 „Vita pericula solis! Vita pericula undarum!  
17 Vita mare ventis motum!  
18 Vola per aerem media via<sup>4</sup>!“  
19 Tandem Daedalus et Icarus spe adducti fugam inierunt  
20 et per aerem volaverunt.  
21 Sed filius a patre institutus tamen consilia eius neglexit;  
22 summa audacia caelum altum appetivit.  
23 Itaque perniciem vitare non potuit.  
24 Nam sol ceram solvit alasque delevit.  
25 Sic puer miser in mare ventis vehementibus motum cecidit.

<sup>1</sup> **ala** Flügel - <sup>2</sup> **penna** Feder - <sup>3</sup> **cera** Wachs - <sup>4</sup> **media via** auf einer mittleren Bahn